



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

FRANCISCI|| XAVERII EPISTOLA-||RVM LIBRI|| QVATVOR||

Francisco <de Javier>

Mogvntiæ, 1600

VD16 J 197

Horatii Tvsellini In Epistolas Francisci Xaverii Latine Conversas. Ad
Franciscvm Toletvmm S. R. E. Cardinalem Præfatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43721

HORATII TVR-
SELLINI IN EPI-
STOLAS

FRANCISCI XA-
VERII LATINE
CONVERSAS.

AD

FRANCISCUM TO-
LETVM S. R. E. CAR-
DINALEM
PRÆFATIO.

DERTEXENTI mihi FRANCI-
SCI XAVERII vitam, Cardinalis
amplissime, plurimæ eius pulcherrimæq;
epistolæ se obtulerunt: quas ego historiæ
haudquam intexendas existimau, ne nimis spis-
sum facerent opus, si rerum seriem identidem inter-
rumperent. Veruntamen & decorum Xauerio, &
frugiferum nostris hominibus videbatur, talis viri
non facta solum, sed etiam dicta, scriptaque omnia,
quæcunque extarent, posteris tradi. adeo ubique il-
lius eminet sanctitas: adeo Xauerius est usquequa

) (2 Xau-

P R A E F A T I O

Xauerius. Proinde committendum mihi non putauit,
ut sanctissimi viri monumenta, eaque salutaribus re-
ferta præceptis, iniuria temporum interirent. Et
sane optandum, ac magnopere expetendum erat, ut
mirifica illa morum suavitatis, & sermonis sapor quasi
vernaculus posset in ipso tanquam in augustissimo fon-
te gustari. Itaque quascunque Xauerij nactus sum epi-
stolas, collegi: in Latinum sermonem conuerti: quatuor
in libros contuli: in lucem proferre constitui. In his por-
ro Latine vertendis, et si non hoc suscepi, ut interpretis
more tanquam annumerarem verba lectori, sed potius
ut appenderem; tamen sententiis, earumq; formis se-
dulo persequendis, exprimere, atque effingere conatus
sum, quantum in me fuit, ipsum quoq; Xaueriana orationis
genus. Volui videlicet efficere, si quo modo pos-
sem, ut in hisce epistolis conuersis ex Hispano, similiter
ut in illis ab ipso scriptis, eximia animi eius effigies ex-
tare, ac mens quodammodo spirare videretur. Ac mihi
quidem in animo fuit, hasce epistolas pariter cum Xau-
erij vita vulgare, vel testes narrationis meæ, vel in-
dices autoritatis sue. Cæterum secus euenit. Vita Xau-
erij me absente edita: consilium meum fractum: tota ra-
tio mutata. Prodiit Xauerius in publicum sine epistolis,
quas identidem testes citabat. Enim uero id ego diu fer-
re non potui. Ergo cum ille quodammodo renatus, aut
potius iam adultus denuo exiret præsente me; promis-
sum epi-

P R A E F A T I O

Sum epistolarum munus debere eum diutius nolui. E-
quidem non dubito, quin aliæ præterea multæ supersint
Xauerij epistola, quæ meas effugerint manus. Extant
quippe in eius vita huiusc rei indicia nec pauca, nec
obscura. Illas ego si quando nancisci potero; Deo appro-
bante, diu desiderari non patiar. Nunc quidem his con-
tentierimus, quas habemus; has edemus, has vulga-
bimus. Nec vero diu Patronus querendus fuit. Quo-
niam Xauerij vita in CLEMENTIS VIII. Pont.
Max. clientelam sese contulerat; epistola te, C A R-
DINALIS TOLETE, sibi Patronum adoptarunt.
Et sane æquum erat, eas illi potissimum dicari, cuius
non minor esset cum Pontifice, quam ipsarum cum Xa-
uerij vita coniunctio. Cum præsertime eius maxime be-
neficio prodeant, cuius nomine decorantur.

Accipe igitur FRANCISCE CARD. hosce
FRANCISCI XAVERII epistolarum libros, si-
mul indices tuorum in Societatem meritorum, si-
mul obsides nostræ erga tuum nomen gratissima vo-
luntatis. Praclarum quidem Xauerio erit ad famam,
Pontificem Max. Christianæ Reip. Parentem, & Car-
dinalem nostræ Societatis columen Patronos habere,
longe tamen præclarius Xauerij res CARDINALI
TOLETO probari, qui tantopere à CHRISTI VI-
cario, ac perinde (quantum existimare licet) ipsi
CHRISTO probetur. Vale.

) (3 INDEX